

Petrus de Vinea

*Ep. III 8 (Si casum et  
causam tuae questionis...)*

Basilicata University Press

—

*Digital Humanities*

Edizioni e data-bases digitali  
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. III 8 (Si casum et  
causam tuae questionis...)*

maggio 1241

Ezelino respondet super hiis, quae sibi scripsit, ut ad eum maturet uenire.

1. Si casum et causam tuae questionis discutimus, satis abbreviari posset inuectio, quam in nos de non scripta tibi dudum, ut asseris, nouae uictoriae iucunditate componis. 2. Quid enim materiae querulae tibi deberi conspiciamus, si in mensa congaudii, de cuius quasi loco nouissimo reclamatus excuteris, et in prima te sedulus inuitator ad nuptias discumbenda sedilia collocauit? 3. Sed, dum causarum merita partium assertionem panduntur, ludicris uotis tuis alludimus et corda quodammodo redolentis alacria iocosi stili serie lucidamus. 4. Statim siquidem, immo priusquam de prospera nobis deditione Fauentiae, rei letus euentus pectora nostra reficeret, letitiae nouae primitias desideriis tuis prouidimus deferendas, ut, quem habuerat nostra serenitas in huiusmodi festi tam celebris expectatione precipuum, participem faceret felicitis auspicii susceptione iucundum. 5. Exempnia quoque tibi per litteras tempestiue transmisimus; terra marique direximus nuntios, ut, alterius elementi succedens humilitas, defectum alterius compensaret. 6. Et utinam sic potuisses effici lateri nostro finitimus, ut nobiscum corporaliter, sicut paranimphus commerciis, exultasses, uel litterarum ipsarum baiulis permisisset natura pennas adiungi uolatiles, ut suae relationis officium, cuiuspiam relatibus pretulissent! 7. Sed si casualiter forsitan est morbificatus itinerans, uel aura non succedente propitia nauigans prepeditus, deberes saltem in Famam uiolentus argutor insurgere, et ipsam de motus cursilis, quem naturaliter induit, uelocitate dampnare. 8. Nec in te modificare uolumus intemperantiam gratulandi, cum tuae uirtutis constantiam ad haec et maiora sufficere

confidamus. 9. Propter quod magisterium in hac parte non approbes, ubi nullam, quam asseris, manus artificis causam dedit nec propter hoc idem ad uerecundiam notari te expedit, quam sumpsisse te etiam superuacuum arbitramur. 10. Cum enim non nisi ex inferentis intentione procedat iniuria, illatam tibi contumeliam frustra conquereris, quae ex nostra intentione non prodiit et in coniecturam audientium non peruenit. 11. Sed, si sumpta de prosperitatis huiusmodi nouae tripudiis occasione iocandi, plausus tuos, quos iusto te credimus exinde titulo possidere, uel quorum in te titulum redigit bona fides, caute ut scribis, te admiscuisse iuuenibus potuisti, profecto de festiua iocositate relator existere, quem in seriis prudenter consiliis morum nouimus grauitate completum. 12. De felici uero aduentu nostro ad partes ipsas, quem multis rationibus auidus et uotiuus exquiris, nichil tibi ad presens certum rescribimus, cum... et..., fideles nostros, quos euestigio ad presentiam nostram pro pecunia missurum te asseris expectantes, per ipsos tibi super hoc beneplacitum nostrum exprimere disponamus. 13. Tu uero de aduentu tuo ad presentiam nostram facias, quod per alias maiestatis nostrae litteras tibi meminibus direxisse.